

273. *Item ponderatori publico circa mensurationem, seu ponderationem.* — Insuper creditur ponderatori publico circa mensurationem, seu ponderationem justam rerum ad se delatarum, quando is ab aliqua civitate constitutus est ad ponderandum, seu mensurandum, l. II. *de Ponderation.* lib. X. ubi ad ejus dictum lites extortæ dirimuntur.

274. *Sicut et medico, architecto, agrimensori, et similibus.* — Et idem dicendum in medico, architecto, agrimensore, et similibus : nam etiam uni horum (si unum solum civitas habeat) jurato deponenti credendum esse, decisum legitur in Auth. *De non alienandis*, etc. § *Quod autem*. collat. 2; Baldus c. *Licet universis*, n. 4, h. t.; Felinus c. *Veniens*. il. 1. n. 20. eod.; Farinacius d. quæst. 63, n. 40. allegans alios.

275. *Statur notarii publici testimonio de gestis a seipso. Instrumenta publica, in quibus notarius attestatur de rebus a se visis, vel coram se gestis, faciunt probationem probatam.* — Nono statur notarii publici testimonio, licet singulari, de gestis a seipso : ut si attestetur, aliquid a se scriptum. Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 92. n. 3; Mascardus *de Probat.* concl. 1101. n. 1. cum aliis. Adeo, ut instrumenta publica, quæ magna illa præsumptione notarii publici, attestantis de rebus a se visis, vel coram se gestis juvantur, vera credantur, et probationem probatam faciant. Bartolus in l. I. in princip. n. 8. et Jason ibid. n. 40. ff. *de Novi oper. nuntiat.* Menochius *de Recuperand. possess. remed.* 1. n. 224; Mascardus loc. cit. n. 2. Idque desumitur ex c. *Ad audientiam*. 13. *de Præscription.* ibi : « Nec credendum sit, ipsum scribentium, cum juratus sit suum officium fideliter exequi, aliud scripsisse, quam a testibus diceretur. » Intellige, nisi aliunde probetur contrarium, seu ejusmodi instrumentum impugnetur, conformiter dicendis infra tit. XXII. *De fide instrumentorum.* § 10. n. 287.

276. *Quid si testis asserat, se non ita dixisse, sicut notarius scripsit?* — Quinimo Abbas ex allegato textu in cit. c. *Ad audientiam*. n. 7. *de Præscription.* post Speculatorem, tit. *de Instrumentorum editione.* § *Restat*, vers. *Quod si dum attestationes*. n. 10. et seqq. concludit, quod si testis publicatione dicti sui facta asserat se non ita dixisse, sicut notarius scripsit : nihilominus notario plus credatur in causis civilibus, per textum cit. c. *Ad audientiam*. Intellige, nisi forsitan notarius aliunde foret suspectus ; aut falsitas scriptu-

rae suæ per alios testes qui simul aderant, et audierant deponentem, probari posset.

277. *Testis unus sufficit in probanda verisimili causa ignorantie. Ignorantia, qualiter probetur?* — Decimo, sufficit unus testis in probanda verisimili causa ignorantie. Quia enim ignorantia in dubio præsumitur; ideo testis unicus, de causa dictæ ignorantie deponens, plene probabit. Speculator tit. *de Teste.* § *Restat de numero*. n. 8; Farinacius loc. cit. n. 40. Quinimo in tali casu statur soli juramento illius, qui allegat ignorantiam; puta, quod ignoraverit v. g. illum esse clericum quem percussit, c. *Si vero aliquis*. 4. juncta Glossa *ŷ. Ignoraverit. de Sentent. excommunicat.*; Card. Tuschus d. litt. T. concl. 281. n. 7. Aut, quod ignoraverit, citationem edictalem contra se fuisse factam. Glossa c. *Ex litteris. ŷ. Ad plenum. De in integrum restitut.* estque jam dictum supra tit. XIV. *De dolo et contumacia.* § 2. n. 60.

278. *Testimonio solius Papæ creditur, quando deponit de facto proprio.* — Undecimo, plene creditur assertioni, ac testimonio solius Papæ, quando deponit de facto proprio. Estque illud speciale in summo pontifice, ob supremam ejus auctoritatem, c. *Cum a nobis*. 28. h. t. ubi Abbas, et Barbosa n. 4. post Romanum, singul. 116. qui istud extendit etiam ad ea, quæ vidit Papa ante Papatum, et alios. Concordat Clem. un. *de Probatione.* estque jam dictum supra tit. XIX. *de Probationibus.* § 4. n. 104. ac seqq.

279. *Idem dicendum de imperatore, et rege. Cardinali asserenti, se esse legatum Papæ, creditur.* — Hoc ipsum esse dicendum de imperatore, et rege, alioque principe superiorem non recognoscente : censet Mascardus *de Probat.* concl. 139. n. 10. et 35. et concl. 1227. Farinacius d. quæst. 63. n. 28. Barbosa cit. n. 4. cum aliis, quos allegant. Insuper creditur cardinali, asserenti se esse legatum Sedis apostolicæ, etiam non exhibitis litteris suæ commissionis, seu legationis, arg. can. *Nobilissimus*. dist. 97. estque jam dictum l. I. tit. XXX. *de Officio legati*. 27. ac fuse declarat. Farinacius cit. quæst. 63. n. 55. et seqq.

280. *Sufficit testis unicus in causis levioribus.* — Duodecimo, sufficere testem unicum, cæteris idoneum, in causis levioribus, in quibus solum de modo præjudicio tertii agitur; sicut et in causis summariis, quæ de plano, ac sola veritate inspecta expediuntur: tenet Mascardus cit. quæst. 41. proœmial. n. 18. Farinacius d. quæst. 63. n. 20; Pir-

hing h. t. n. 112. et alii : estque uberius dictum supra tit. præc. § 3. n. 64. et 65. ubi a n. 61. usque ad n. 68. nonnulla alia huc applicabilia continentur.

281. *Sicut et ad leviores pœnas delinquentibus imponendas; idque exemplificatur.* — Similiter ad leviores pœnas delinquentibus imponendas sufficit, quandoque unicus testis de commisso excessu : unde ex testimonio publici custodis mulctari solent furantes ligna ex sylva communi. Sic etiam in religionibus leves penitentiae imponi solent ex unius testimonio : quia in ipsis ita expedit facere pro bono communi, seu conservanda disciplina regulari; ut ait Lugo *de Justit. et Jur.* disp. 39. n. 17. Tacentur cæteri casus, apud auctores hactenus citatos videndi : nam illi vel commode reducuntur ad unum præmissorum, vel sunt minoris considerationis.

§ IX.

DE TESTIBUS SINGULARIBUS, EORUMQUE PROBATIONE.

282. *Testes alii vocantur testes contestes; alii testes singulares.* — Quæritur I. Quid, et quotuplicis generis sint testes singulares? Resp. I. Testes singulares contradistinguuntur a testibus contestibus, atque istis directe opponuntur : generatim enim loquendo, alii vocantur testes contestes; alii vocantur testes singulares.

283. *Et qui sint?* — Testes contestes dicuntur, qui unum et idem factum testantur, v. g. se vidisse, quod Titius occiderit Caium tali loco, et tempore. Testes singulares e contra sunt, qui testantur super diversis factis, ita quod quilibet est singularis in dicto suo, et non concordet cum alio.

284. *Singularitas testium potest induci secundum omnia decem prædicamenta.* — Porro hujusmodi diversitas, ac testium singularitas, potest induci multipliciter, et secundum omnia decem prædicamenta : ut in prædicamento substantiæ, si unus testium deponat, Titium furto abstulisse equum, alter asserat, eum abstulisse vaccam, aut hujusmodi. Ita prædicamento quantitatis, quando unus deponit de centum, alter de quinque. In prædicamento qualitatis, quando unus testificatur actum pure factum, alter sub conditione; vel equum alteri venditum extitisse sanum, alio dicente, ipsum fuisse claudum, etc. In prædicamento ubi, et quando, si unus dicat, fur-

tum commissum esse tali die, vel loco; aliter testetur, furtum esse factum alio tempore, vel loco, aut hujusmodi : et sic loquendo de cæteris prædicamentis.

285 et 286. *Ea est triplex; nempe singularitas obstativa, seu adversativa, quid?* — Resp. II. Singularitas testium est triplex, videlicet obstativa, adminiculativa, et diversificativa. Ita Baldus in c. *Licet causam*. n. 11. *de Probatione*; Piringh. h. t. n. 142; Farinacius *de Testib.* quæst. 64. n. 4. allegans alios; idque probatur explicando terminos. Siquidem.

Singularitas obstativa, seu (ut alii loquuntur) adversativa dicitur ea, quæ continet contrarietatem testium de eodem actu deponentium, seu repugnantiam in eorum dictis. Sic accidit, quando unus dicit, furtum v. g. vel homicidium, factum esse in tali loco, vel tali tempore; alter vero inquit, illud commissum esse in alio loco, vel alio tempore: repugnat enim, quod idem numero delictum acciderit diverso tempore, vel diversis in locis. Et talis singularitas obstativa, seu adversativa, reperiebatur in testimonio illorum duorum impudicorum senum, *Daniel*. XIII. 1 et seqq. quorum unus testabatur, castam Susannam commisisse adulterium sub schino, alter sub prino : quos proinde Daniel falsitatis convicerat, eo quod idem numero adulterium sub distinctis locis, seu arboribus, fieri nequiverit.

287 et 288. *Singularitas adminiculativa; et singularitas diversificativa, quid?* — Singularitas adminiculativa vocatur, quando testes deponunt de actibus diversis mutuo tamen sese adjuvantibus ad probandum id, de quo controvertitur. Ut si unus testis deponat, se vidisse, quod Titius abstulerit equum, alter vero deponat, se audivisse Titium confitentem, quod abstulerit illum equum. Atque hoc ipsum generaliter contingit, quoties ad eundem actum, vel finem probandum, tendunt diversæ testium depositiones, dum unus deponit de facto a se viso, alter de fama, vel auditu, seu confessione illius facti : item dum unus testificatur de una confessione, alter de alia confessione ejusdem facti : item, quando in ordine ad probandam v. g. possessionem fundi, unus testis inquit, se vidisse eum arari a Caio, alius vero dicit, se vidisse messem ex eo collectam a Caio, etc. In hisce enim, ac aliis hujusmodi casibus, datur quidem singularitas testium, quantum ad actus illos, de quibus deponunt (hi enim sunt diversi,

cum aliud sit videre, aliud audire, arare, messem colligere, etc.), quia tamen iidem tendunt ad probandum eandem finem, sicque dictum unius testis coadjuvat dictum alterius; hinc singularitas ista vocatur adminiculativa, seu (ut alii loquuntur) cumulativa.

Singularitas diversificativa tandem dicitur ea, quando testes deponunt de actibus diversis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipsius probationem coadjuvat: ut si unus testis dicat, quod Caius mutuaverit Titio centum in tali loco, talique die; alter vero, quod mutuaverit eidem quinquaginta in alio loco, alioque tempore: quia non repugnat, quod Caius bina vice mutuaverit Titio, sicque una depositio non adjuvat alteram in probando, neque idem repugnat, sed quaelibet manet singularis in substantia objecti, atque effectus. Aliud exemplum est, si unus dicat, Caium commississe furtum monachi; alius vero asserat, quod commiserit furtum Augustæ: nam etiam hic, ob diversitatem loci, necessario consurgit diversitas actuum; sicque quilibet testis manet in suo dicto singularis singularitate diversificativa. Et dicto singularis singularitate diversificativa. Et idem dicendum de innumeris similibus.

289. *Regula est, quod testes singulares non probent.* Testes singulares tantum probant mille, quantum unus. — Quæritur II. Utrum testes singulares aliquid probent? Resp. I. Regula est, quod testes singulares non probent, neque ad faciendam probationem jungantur. Ita communis, et excepta doctorum opinio; prout relatis pluribus quis attestatur Farinacius cit. quæst. 64. n. 33. Adeo ut Baldus in l. *Jurisjurandi.* n. 4. C. h. t.; Jason in repetit. l. *Admonendi.* n. 256. ff. *de Jurejurand.*; Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis.* cap. IX. n. 373; Farinacius n. 37. et alii ab his relati asserant, « quod testes singulares tantum probant mille, quantum unus. » Quia videlicet hoc ipso, quod sint singulares, quilibet in suo dicto manet unus, et solus: atqui testis unus non probat; quia « vox unius, vox nullius, » ut jam supra dictum est.

290. *Idipsum ostenditur ex jure.* — Idipsum clare desumitur ex diversis textibus juris. Sic quippe in c. *Licet causam.* 9. § *Quamquam, de Probation.* rejicitur testimonium illorum, qui « in dicto sui testimonii singulares » extiterunt. Similiter, in c. *Cum dilectus.* 32. *de Election.* haud obstante, quod post actum electionis cujuspiam ferme omnes

canonici publice professi fuerint, quod nulatenus archidiaconum (de quo ibidem est sermo) nominassent; nihilominus contra hoc (seu, quod in sua privata electione archidiaconum non nominarint), « censetur eorum probatio insufficientis, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares: » quia nimirum quilibet ipsorum non nisi de se testari potuit, prout notat Glossa ibid. §. *Probatio.* Concordat alius textus in c. *Bona memorie.* 23. § *Contra,* eod. ubi de nonnullis asserentibus, se ad electionem non fuisse citatos, pontifex loquitur, dictamque eorum assertionem reprobat, illis verbis: « Cum et si quilibet de se posset asserere, quod ad eum citatio minime pervenisset, singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares: » juncta Glossa ibid. §. *Singulares.*

291. *Regula hæc vel maxime procedit in testibus singularibus singularitate obstativa, seu adversativa.* — Resp. II. Regula proxime data, seu quod testes singulares non probent, vel maxime procedit in testibus singularibus singularitate obstativa, seu adversativa: hi enim, propter repugnantiam, et contrarietatem inter eos existentem, quæ falsitatem arguit, nihil omnino probant: adeo, quod nec semiplenam probationem inducant. Ita Baldus cit. c. *Licet causam.* n. 44. *de Probation.* inter alia dicens, quod ubi propter singularitatem vacillat depositio, ibi singularitas omnino vitiat. Alexander consil. 94. n. 1 et 4. lib. VI. loquens de singularitate obstativa ratione loci., atque istud inter alia probans ex c. *In nostræ.* 32. h. t. et exemplo duorum senum *Daniel.* XIII. castam Susanam de adulterio accusantium; Mascardus *de Probat.* concl. 958. n. 20; Farinacius, d. quæst. 64. n. 41. 44 et seqq. et alii copiose ab his citati.

292. *Nequit istis deferri juramentum in supplementum.* — Infertur proinde, quod testibus singularibus singularitate obstativa non possit deferri juramentum in supplementum: quia, ut dictum, non probant semiplene, sed potius unus enervat, atque suspectum reddit dictum alterius sua contrarietate, seu repugnantia. Mascardus cit. n. 20; Farinacius n. 50, cum plurimis alii.

293. *Melius est habere unum testem, quam plures singulares singularitate obstativa.* — Infertur ulterius, quod melius sit, habere pro se unum testem, quam plures testes singulares singularitate obstativa. Siquidem unus testis, cæteroquin idoneus, probat semiplene:

non sic plures illi testes sæculares, etiam si mille forent. Jason. in repetit. l. *Admonendi.* n. 156. ff. *de Jurejur.*; Farinacius loc. cit. n. 39. post. Cæpolam, caut. 152; Baldus l. *Jurisjurandi.* c. *de Testib.* et alios. Verum de testibus contrariis plura inferius § 10. per totum.

294. *Testes singulares singularitate diversificativa, plene non probant.* — Resp. III. Testes singulares singularitate diversificativa plene quidem non probant: quamvis singuli eorum probent tantum, quantum unus; adeoque ex eorum depositione bene oriatur semiplena probatio, dummodo inter ipsos adsit unus testis omni exceptione major. Ita Farinacius cit. quæst. 64. n. 42 et 47. post Caccialupum in l. *Admonendi.* n. 91. et 92. et 93. ff. *de Jurejurand.* attestantem de communi doctorum opinione, et alios. Prior pars desumitur ex juribus n. 290. allegatis. Accedit ratio: quia hoc ipso, quod testes illi sint singulares singularitate diversificativa, nullus eorum in sua depositione habet contestem, quilibet enim ipsorum deponit de eo, quod ipse solus scit, et alius non scit, cum deponat de actibus diversis; et consequenter inde non consurgit plena probatio.

295. *Quamvis singuli eorum probent tantum, quantum unus. Sicque ex eorum depositione oritur semiplena probatio.* — Atera pars ex eo suadet. Quia hoc ipso, quod inter actos illos, et factam super eisdem depositionem testium, nulla reperitur contrarietas, vel repugnantia; non subest ratio, cur depositio unius testis, de certo actu, deponentis, enervetur, seu debilitetur per depositionem alterius testis super alio actu testificantis. Manet igitur quaelibet depositio in valore illo, quem habet depositio unius testis cæteroquin legitimi, et omni exceptione majoris; sicque probat semiplene, juxta dicta. § præc. n. 152.

296. *Quidquid nonnulli contradicant.* — Nec obstat, quod nonnulli doctores, quos citat Farinacius, ubi supra, n. 43 et 48. et sequitur Mascardus cit. concl. 958. n. 20. sentire videantur, quod ex singularitate diversificativa testium nec semiplena probatio oriatur. Nam vel horum sententia est relinquenda; vel benigne interpretanda de testibus cæteroquin non omni exceptione majoribus, aut ita inter se diversis, ut quamdam contrarietatis imaginem præ se ferant: quod tamen iudicis arbitrio est relinquendum, ut monent auctores proxime citati.

297. *Testes singulares singularitate adminiculativa probant in causis civilibus idem factum genericum, seu successivum.* — Quæritur III. An testes singulares singularitate adminiculativa, probent in causis civilibus? Resp. I. Loquendo de facto suapte natura successivo, continuo vel generico, tunc in civilibus ad ejus probationem sufficientes testes singulares singularitate adminiculativa; hoc est, tales testes, qui licet deponant de diversis actibus, tamen actus illi mutuo sese adjuvant ad probandum idem factum genericum, continuum, seu successivum. Ita Glossa can. *Nihilominus.* 3. q. 9. et Glossa fin. l. *Ob carmen.* ff. *de Testib.* quarum verba n. 299 et 300. afferuntur. Felinus c. *Licet ex quadam.* n. 2. vers. *Secundo limita.* et Baldus ibid. n. 9. h. t.; Card. Tuschus litt. T. concl. 265. plures tales casus referens. Arnold. Albertinus in repetit. c. *Quoniam.* n. 48. *de Hæretic.*; Mascardus *de Probat.* concl. 1205. n. 24 et seqq.; Farinacius cit. quæst. 64. n. 112. et 150. et 160. et 164. allegans plurimos alios, etiam attestantes de communi; etsi n. 151. et 163. multos etiam alleget in contrarium. Zæsius h. t. n. 38. hanc sententiam appellans communem; Gailus lib. II. *Practic.* observat. 66. n. 11; Layman lib. III. *Theolog. moral.* sect. 5. tract. VI. cap. IV. n. 5. § *Interim.*; Pirhing h. t. n. 144. ac novissime Card. de Luca tract. *de Dote.* discurs. 144. n. 9. asserens, quod hæc sit « propositio in foro satis vulgaris.

298. *Et hujus ratio.* — Accedit ratio, quia, ubi testes interrogantur de aliquo facto generico, vel successivo, seu toto integrali, etsi deponant circa diversos actus, sive partes ipsius; nihilominus deponunt super eodem facto successivo, aut generico, vel toto integrali; ergo quoad rem, et substantiam quæstionis, non censentur esse testes singulares, sed potius contestes, per textum notabilem l. *Qui sententiam.* c. *de Pœnis:* ibi: « Per testes in unum conspirantes, concordantesque rei finem convictus sit. » Et quamvis adhuc possent dici testes singulares, eo quod deponant de alio, et alio actu specifico: nihilominus, quod testes etiam singulares jungantur ad plene probandum, quando tendunt ad eundem finem, licet per diversa media; desumitur ex cap. ult. *de Succession.* ab intestat. ac notat Abbas ibid. n. 17; Alexander, consil. 76. n. 4. et 5. lib. VI; Mascardus *de Probat.* concl. 379. n. 14. allegans alios: et concordant dicta superius tit. præc.